

Tenta-  
tio.



2

Entamur. Quia tentandi sumus. Non ten-  
tatus enim qualia scit? Tentat autem nos DEUS,  
tentat Diabolus, tentat caro quemque sua, tentat  
mundus Diaboli sponfa. Tentat DEUS, ut  
probet & consolidet; Diabolus, ut supplantet & su-  
peret; Caro, ut conficiat; Mundus, ut inficiat. Huius tentatio est  
fastuosa, carnis valde speciosa, Satanæ detrimentosa & damnosa,  
solius verò Dei necessaria & fructuosa. Caro caussatur amorem,  
Mundus prætexit honorem, Diabolus parit horrorem, solus Deus  
verum generat timorem. Amor carnis est absque timore, honor  
mundi est cum timore, terror Diaboli cum foetore. Solus timor  
Dei & amorem parit, & honorem stabilit, horrorem adimit, & tre-  
morem salutarem infundit. Beati ergò, qui à Deo tentari cum Da-  
vide expetunt, ut probentur; Diaboli cribro excernuntur, ut mun-  
dentur; à carne titillantur, ut fastidium contrahant; à mundo  
vexantur, ut odium concipiant: ab omnibus victoriam cum trium-  
pho reportant. Quomodo enim insidias evaseris, nisi noveris?  
quei salutem expetes, nisi morbum agnoscas? errorem vites, nisi  
trivium calleas & proculces? hostem prosternas, nisi hinc inde fu-  
gatus & vagatus non tam fugias quàm fuges? Tardius assequetur,  
qui non insequitur; nec capiet, nisi qui captabit; nec tanget, nisi  
tractaverit. Nemo, qui sapit, heic Plautissans sic increpitabit, Quid  
tibi hanc rem tactio est? Vexatio dat intellectum, vectem porrigit  
& pessulum, quò pessumdes, obicem objicit, quò excludas. Mun-  
dis quidem omnia sunt munda: sed mundatis: & ab immundo  
Diaboli. mundo, & ab impurâ carne, & à sordido Diabolo. *Tanta est istius  
ferocia, tanta illius lascivia, tanta bujus pertinacia. Tendit enim hic, &  
tentat, & tenet, cum teneros, tum tenaces, pice magis lentus. Neq; enim  
lentare piget. Lacescit, ut laciniatim laceret; lactat, ut lancinet.*  
*At nos interea maleferiati Troes*

*Mollia securæ peragemus otia vite:*

*Iliacos*